

Fabellae aliquot de Famae viribus

Intrant *Chorus* et *Sappho*

Sappho canere coepit

Illa dulces mi rapuit puellas,
illa, quae per tempora corde multa
in meo vixit, dum animosa amavit
Ἀνδρομέδα με.

Nunc, fatere! A quo didicistis illos
monitus, quorum utilitate iactor?
Antecelli a te videor nitore
ἄνδρεσι παῖσι·

in schola sed grata mea sedebas,
illa cum praecepta docebam acute,
et locuta es: “Te modo sic amabo,
Ψαπφ’ ἐπίκουρε”.

Sed fuerunt verba calorque vana:
tu ferens cum te omnia virginumque
ac puellarum agmina quae colebam
πάντ’ ἀπέλειπες.

Destitutam cum videam simul me
conqueror dolens apud omne sidus,
arborem prope omnem et in omne litus
δάκρυ χέοισα·

dein tamen furor senium necavit:
te, scelesta, te volui revelli,
nuntians quod Pieridum rosarum
οὐ πεδέχης σύ¹.

Ocius volant celeri sonore
perfida illa carmina quae legebam
acriter tonans ubicumque, semper,
πάντι πολίταν.

Exit *Sappho*

¹ Cf. Sapphus fragmentum 55.

Intrat *Horatius* et loqui coepit

Ibam forte mei solus caligine ruris
ne quis quietem rumperet mihi loquens; 30
sed subito sensi famulos sub roboris umbra
mutos susurros mutuos expandere.
Qua potui accessi clam sic ut perciperem illos,
sed sola cepi “Flaccus” et “scutum suum”.
Plura tamen tacito sentire in murmure verba 35
heu iam nequibam, quod pede effeci sonum.
Crastina lux fulsit me Romae ex more vagante
cum nactus est me cuius et nomen fugit.
Arridens loquitur: “Quid nunc? Quae facta Philippis?”;
sed quid valerent ista concepi male. 40
“Quid quaeris de me? Dic clarior id modo, quaeso”.
“Quod quisquis urbe iam sapit: te prodere”.
Ora mihi nivea ac dein irae culmine rubra
cum prodidisse me Philippis diceret.
“Falsa locute, abeas! Quid? Nos sic haec patiemur? 45
Haud prodidi, illius tamen pace hac fruor,
cuius ibi victos redimit clementia multos,
quae cur mihi data est, si eram tam proditor?
Prava parte fui fateorque, fideliter autem!”
Sed ille tunc: “Quid incidit scuto tuo?” 50
Perplexus tacui, tacuit cunctatus et ille.
“Scuto? Quid evenit?” labans exordior.
“Si illa tacere cupis, maneant tacita illa silendo”.
Ut dixit ut decessit, et solus fui.
Ne nimiis utar cupiens describere verbis 55
quid accidit postquam retexi illud mali,
sat modo quod cunctas inveni id credere gentes
ac nescio quae causa tanta fecerit.
Et dubito primum, post pro me volvere posse
haec vulnera atque scutum eundem intellego. 60
Nempe relictas fero – scis – a me parmula bello?
Archilochus edocebat id, sic atque ego.
Nempe salus illa donatur Mercurioque?
Si credere est tibi leve hoc, crede et vale.
Tantum ego pertimui ne omnino oblita perirent 65
quae strenue gessi Philippis posteris.

Exit *Horatius*

Undecimum physicam hic docuit me doctus agentem
annum, quod servae subveni filius illi.
Hic mihi naturae patefecit vincula tota,
non doctrina aliqua, sed ut ipse ego cuncta viderem. 70
Proclivi quondam caute globulum impulit alto
viserem ut hunc motu volvendo augescere vires.
“Exponens rapidae” dixit tum “flumina Famae
Vergilius dicit: ‘Vires acquirit eundo’:
tunc mihi divina haec mihi significare videtur³”. 75
Taliam luce rubens sic prima praecipiebat
et docuit iuvenes Tuscos Venetosque tot annos.
Erudiens pecora ad leges tunc cetera mundi
quas Ptolemaeus init, quibus haud credebat et ille,
explicuit nobis solis et fecit apertas 80
mille suas mentes, totidem ac mysteria caeli:
“Luna obscura movet se exornans lumine solis⁴
et vitiosa eius facies habet alta iugorum.
Atque vices Veneris, ut Lunae, sic variantur,
nec circum Terram, sed Solem volvitur ipsa. 85
Non modo Terra gerit quod semper circumit illam:
quattuor at mundos habet ingens Iuppiter ipse.
Est medio in mundo Sol – et fortasse nec ille! –,
qui sibi cuncta movet, volvitque decore quietus.
Terra movet se – aio: non est immobilis illa. 90
Si omnia sunt pariter, quid ‘caelum’, ‘Terra’ quid est, nunc?”
Sic aiebat enim certa cum mente putanda,
quae sint corde tamen menti male lubrica iuncto.
Et rapide rapide volitant sua verba per urbes;
ille Parisiacus plaudit, sequitur bene Praga⁵; 95
protinus agricola est omnis tam doctus ut illi.
Sensim verba eius sunt lataque tortaue cuncta
arguiturque Deo caelum dixisse carere,
dicitur et dubitare bona an sit regula Papae.
Impulsor populi fuit hic quod lumina caeli 100
iura nec ulla sequi potuit sic pandere summa,

² Hic loquitur ille Andreas Sarti qui in Brechtiano *De Galilaei vita* dramate agit.

³ Galilaeus hunc Vergilianum locum in dialogo suo *De duo maximis mundi systematibus* laudat, motum corporis alicuius ipsum plano inclinato denotans.

⁴ Haec oratio illam sequitur quae ab Andrea in Brechtiani dramatis scena decima tertia pronuntiata est (“Der Mond ist eine Erde und hat kein eigenes Licht” etc.).

⁵ Cf. scenam primam Brechtiani dramatis: “Man klatscht Ihnen Beifall in Paris und Prag”, ubi de Cartesio et Keplero loquitur.

quando est hic famulus tacita qui pace quiescit
est tamen illa potens circum quae volvitur ipsum⁶.
Ut paucis utar cupiens describere dictis
quid posthac factum – nam vos iam scitis aperte –, 105
pauca tamen dicam quae sunt nunc iure vocanda.
Christophorus⁷ legit sua scripta atque annuit illis:
quantas spes illi tradis, Clavi, trepidanti!
Namque licebat eos colere hunc, sed non nisi semper
mente mathematice positos, at nulla docentes, 110
hos, dico, monitus, nos qui tum cuncta docebant.
Gaudia tu quoque tunc tribuisti, Urbane magister⁸,
cum Vaticanum mutasti in sidera et artes.
Prodest attamen hoc, vel abest timor omnis ab illo?
Heu, minime! Moles immo tunc multiplicantur. 115
Nil aliud fama est venti quam clamor acuti⁹.
Ergo abiurat ea cum qua nos voce docebat
omnia cunctaque quae tunc strenue ob astra ferebat.
Quidam aliquando ad me venit et secreta susurrat:
“‘Se movet illa quidem’, dixit. Sic! ‘Se movet illa’”. 120
Verum est an falsum? Dein a quo et quomodo scires?
Nescio. Sed bene nunc capio illud Vergilianum,
de Fama cur fert: “Vires acquirit eundo”.

Exit *Andreas*

Chorus loqui coepit

Hominis vitium est sua multa loqui,
quoniam ad tenebras facile illa cadent, 125
at fert animo post difficile
id abesse ab eo quod nunc loquitur
de ipso populus ridens tacite.
Non sunt tamen haec nunc subsidia
quae noxia sunt odii cumulis, 130
sed spiritus et natura hominis,
quae semper idem pascunt odium.
Vidistis adhuc ad vos ventos

⁶ Hoc loco “hic famulus” solem, “illa potens” terram designant; cf. totam Brechtiani dramatis scenam decimam.

⁷ Scilicet Cristophorus Clavius.

⁸ Scilicet Urbanus Papa VIII.

⁹ Cf. Dantis Alagherii *Purgatorium*, vv. 100-101: “Non è il mondan romore altro ch’un fiato / di vento etc.”.

homines memorare olim gesta:	
illi similes vobis trepidant,	135
metuunt famam quae gliscit adhuc.	
Quare ergo sunt quibus utimini	
quae spernitis hoc livore fero?	
At idemque malum quod semper erit	
vorat omnia quae male vos agitis;	140
opus est animo et ratione novis,	
non quod forsán prodesse potest	
tam despicere et contemnere sic:	
maculas nostras si noverimus,	
tum tandem proficiemur.	145

Exit *Chorus*

Silentium

Intrat rursum *Sappho* et canere coepit

Venit usque ad me celeris puella
ac locuta est tristia voce rupta
quae mihi darent animo superbo
τὰν μετάνοιαν·

“In schola sua Andromeda docebat	150
tot puellas admonitus revolvens	
cum steterunt, iam subito quietae,	
τῶνδε κλύοισαι	

quae foris dicuntur ad has canendo,	
in quibus de illa loqueris severe	155
cum tua olim subripuisset illa	
δόγματ' ἔρωτος.	

Crastino die vacat omnis aula	
et puellis discipulisque cunctis;	
illa sola dum remanet magistra	160
κλαῖε σιωπῇ.	

Quisque, Sappho, quisque sonabat illa,	
sicut optabas: ubicumque, semper;	
iam nec est illi urbe levi quietum	
χωρίον ἄλλο.	165

Ne nimis dicam, fuit illa tristis
sic repulsa, sic reserata cunctis
ut sibi exemplum statuatur perenne,
πόλλα πάθοισα.

Perspicias, Sappho, dederis quid illi,
cum canebas indomito furore?
Quae prius fecit tibi vulnus, ecce
ἔκτανεν αὐτήν”.

170